



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Pia Desideria**

**Hugo, Hermann**

**Mediolani, 1634**

XV. Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Psal. 30.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43734**



*Defecit in dolore vita mea et anni  
mei in gemitibus. Psal. 70.*

*C. Blancus f.*

*25.*

## XV.

Defecit in dolore vita mea, & anni mei in  
gemitibus. Psalm. 30.

**H**oc erat ergo meis dominās Natalibus astrū  
 Ut mihi lux fausta nulla rediret aue!  
 Quam leuis optati me temporis aura fefellit;  
 Dum toties repeto; Crastinus albus erit.  
 Nec tamē albus adhuc mihi crastinus ille reluxit;  
 Quin, qui praterijt proximus, ater erat.  
 Credideram alternos vitæ succedere casus,  
 Inque vices latis cedere mœsta locum.  
 Utque serenato detergis nubila cœlo,  
 Cùm reuehis clarum Cynthiae pure diem;  
 Vique maris reparas fugitiuos, Cynthia fluctus,  
 Cùm tingis refluo littora sicca salo;  
 Sic ego venturi non felix temporis augur,  
 Omnia pro votis rebar itura meis.  
 At mea, quàm dispar, quantoque seuerior illis,  
 Quas dat nupta viro, tristitia est lacrymis!  
 Coniuge defunctæ his denis mensibus, vxor  
 Sola domi queritur, coniugis orba, necem.  
 Post decimum sinitur lugubria ponere mensem.

Es

Et peplum niuea vertere triste toga.  
 Quis mihi transactus semel est sine luctibus annus?  
 Quis vacuus mensis? quis sine nube dies?  
 Nulla meis lex dat finemve, modumue querelis;  
 Sed parit assiduus se, velut Hydra, dolor.  
 Et planctu & lacrymis gemituq, absumitur omnis,  
 Ipsaque pars minima est vita caduca sui.  
 Sape quidem rabidis sunt equora turbida ventis,  
 Sed breuis est, quoties magna procella furit.  
 Quasque rapit syluis brumæ inclementia frondes,  
 Compensant viridi tempora verna coma.  
 Et Notus obscuris quoties tegit æthera nimbis,  
 Latior innubi mox redit ore dies,  
 At mihi perpetuos contexunt funera luctus,  
 Dimpia nec est vlllo synthesis atra die.  
 Mœstaque nec festo cessauit tibia cornu;  
 Pectus, ebur, pugni, plectra, querela, fides:  
 Hac Cythara, soles, hoc transigo pectine, noctes;  
 His fidibus, vitæ tempora fallo mea.  
 O quoties victo suspiria pectore rupi.  
 Cum cuperem tacito mergere verba sinu!  
 O quoties, lux quanta meis fuit acta querelis,  
 Lunaque quanta meis planctibus acta fuit!  
 Ne gemerem, memini, toties monuistis amici,  
 Multi a que, ne gemerem, credite, facta mihi.

Libera

*Libera letitia suafistis frena remitti,*  
*Illico letitia libera frena dedi.*  
*Ast ubi singultum compescere risibus opto,*  
*Risibus, heu, gemitus obstrepere meis!*  
*Sapè, volens placidas somno traducere noctes,*  
*Perpetuò vigiles obruor imbre genas.*  
*Dumque diu nimium violentos comprimo fletus,*  
*Heu, mare perruptis effluit aggeribus!*  
*Flumina, vos testes; vos, nota cubilia, sylvæ;*  
*Vosque caue valles; conscia vosque iuga;*  
*Vos testes, quoties suspiria vincere tentans,*  
*Victa, reluctanti murmura corde dedi.*  
*Quin etiam auditis permota ululatibus Echo?*  
*Questibus audita est aggemuisse meis.*  
*Tunc ego, tunc illa, alternis dedimus lamenta,*  
*Fleuimus inque vices, planximus inque vices.*  
*Vt Pandionia sibi dant responsa sorores,*  
*Cum caesum, thalami labe queruntur Ilym.*  
*Et sedet hinc Progne ramo miserabile plorans,*  
*Et sedet inde suum flens Philomela nefas.*  
*Alteraque alterius sequitur suspiria questu,*  
*Admissum lacrymans, utraque crimen auis.*  
*Talis & Alcyone cum naufraga vela mariti*  
*Nequicquam scopulis littoribusque canit.*  
*Aut viduus, viridi nemoris sedet arbore turtur,*  
 Com-

Comparis eterno murmure fata gemens .  
 Sic mihi fatidica nerunt quoque stamina Diua ,  
 Iret ut optato sidere nulla dies .  
 Vique adimant nullos, lamenta perennia iuctus,  
 Aut cesset, caussa deficiente, dolor .  
 Sed fuit ut prima, gemitus, vox prima loquelæ;  
 Sit gemitus vita vox quoque summa mea .

## C H R Y S O S T O M V S

Hom. in Psal. 115.

**A**N non est merito ingemiscendum, quod  
 sumus in regione aliena, & in Coloniam  
 procul à patria positam amandati .



LIBER